

DE  
GRATA NEGLIGENTIA  
ORATIONIS  
PROLVSIO SCHOLASTICA  
ORATIVNCVLIS III  
IN  
SCHOLA THOMANA

A. D. III. MAII. A. G. CIO IDCC XXXXIII

RECITANDIS

PRAEMISSA

A

IO. AVG. ERNESTI  
RECTORE



1743.

*Lipviae*

LEIP  
11 (1743)

7093

638

OFFICE OF THE SECRETARY

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

LAND OFFICE

WASHINGTON, D.C.

FOR A COPY OF THE

REPORT



uae res sunt, quibus recte eleganterque dicendi facultas maxime comparatur, frequentia scribendi et diligentia: sed quarum altera alterius auxilio valde indiget. Nam saepe multumque scribendi studium, si a cura seiunctum est, celeritatem illud quidem affert, sed, quae garrulitas potius, quam eloquentia dicitur. Diligentia autem, sine perpetuitate et constantia exercitationis, etsi acuit iudicandi vim, et orationi vitia detrahit, atque elegantiam addit, tamen, neque iustas vires facere, neque difficultatem scribendi ac tarditatem tollere potest, rem tironi molestam, viro autem etiam indignam. Sed haec cura scribendi et religio in duabus rebus cernitur, in sententiarum ac verborum delectu et collocatione. Ac sententiis quidem cum maxime oratio contineatur, nulla videtur iusta maior esse, in iis deligendis, cura, si rhetorum praeceptis percipiendis, iudicioque, veterum latinorum et graecorum scriptorum assidua lectione, subigendo, quid in iis sequendum fugiendumue sit, satis cognoris, videasque, ne nimia religionē supra modum oratio attenuetur, neque, dum vitiosum sanguinem detrahere curas, bonum simul ducas, et exsanguē corpus ac macilentum efficias. In delectu autem verborum, in quo summa eloquentia, quoad verbis constat, inesse recte putatur, quis aliquid nimium esse posse



## IV

credat? Collocationem denique verborum et simplicium et  
 coniuñtorum, ex qua laeuitas quaedam et harmonia nume-  
 rusque efficitur, ita desiderant aures nostrae, ab ipsa natura  
 ad eius sensum eruditae, vt orationem crebro hiantem, vagam  
 minusque apte conclusam vehementer abhorrere videantur.  
 Sed est tamen in his etiam generibus quaedam negligentia,  
 non modo, quia fastidio medetur, quo, in rebus curatius  
 exquisitiusque elaboratis, facile adhaerescimus, probanda, sed  
 etiam, quod diligentiae quandam interdum speciem habet, iu-  
 cunda. Fit enim hoc, siue natura, siue errore quodam, vt  
 in rebus, siue pulchritudine et arte, siue copia praestantibus,  
 si quid sub neglectum videatur, eo non minus prope, quam  
 quod perfectum est, delectemur: in quo autem vbique exqui-  
 sitior quaedam absolutio curaque emineat, id etiam sub offendat.  
 Natura quidem hoc sollerter sic est machinata, vt perfectionem  
 operum suorum quaedam negligentiae veluti umbra occultaret,  
 quasdam etiam partes prope destitueret, et non satis elabora-  
 tas velut abiiceret, tanquam efficacius opera sua per hanc mo-  
 destiam commendatura. In magnis diuitiis aliquid negligi vo-  
 lumus, et, siue paupertatis, siue auaritae, quae ipsa quoque  
 paupertas est, indicium habetur, ad omnia intentum esse, ni-  
 hil omnino negligere. In feminae autem ornatu, si qua pars  
 paullulum negligenter exculta est, veluti studio quaesitum pla-  
 cet. Adeo denique volumus, aliquid, in omnibus rebus,  
 quae arte continentur, negligi, vt diligentia etiam minuta vi-  
 deatur. *Μυροπρεπής ἢ ἀκριβεία*, inquit Demetrius, non con-  
 temnendus auctor. Hoc secuti summi quique Poetae, Orato-  
 res et Historici, in sententiarum conformatione, verborum de-  
 lectu ac compositione, interdum et paullo negligentiores vide-  
 ri voluerunt, et, si quid sibi minus curiose dictum et colloca-  
 tum excidisse per scribendi calorem, dum de rebus magis  
 quam de verbis cogitant, viderunt, id relinquere maluerunt,  
 quam ad subtiliorem rationem exactum tollere. Neque enim  
 existi-

existimari debet, ea, quae nos, in ipsorum libris negligentius scripta esse, facile videmus, ea ipsos neque vidisse, neque emendatius accuratiusque scribere potuisse, qui, si non ingenio et doctrina, linguae tamen scientia longe nobis superiores fuerunt. Principes graeci ingenii atque linguae Homerus, Plato, Demosthenes, recte putantur. Sed iidem illi *ισόθεοι*, ut Longinus vocat, scriptores, *τῆς ἐν ἅπασιν ἀκριβείας ὑπερεφρόνησαν*, summam in rebus omnibus diligentiam neglexerunt. Latinae autem eloquentiae poeseosque parentes, Cicero et Virgilius, multa posuerunt: quae vitiosa et parum accurata videri possunt: securi scilicet paruarum obseruationum, cum magnas tenerent. Omnino mihi videor, graecis latinisque scriptoribus legendis, inter seque comparandis, animaduertisse, ut quisque a vita umbratica et scholastica longius absuerit, ita frequentiore illis negligentiae peccatis, minusque religiosum in paruis rebus fuisse. Cuius rei, praeter Isocratem et Demosthenem, etiam Xenophon et Aeschines documenta praebent. Vterque e Socratis schola fuit, sed non eodem vterque vitae genere. Nam Xenophon quidem plurimum in republica pace belloque administranda versatus est: Aeschines autem in schola vitam, philosophia docenda, consumsit. Iam, quod ad Aeschinem attinet, habet ille quidem non pauca ex illo genere, quod etiam Clericus vidit: sed adeo plura Xenophon, ut ei Aeschinem diligentiae nomine praeferat Hermogenes: *ἐπιμελής δὲ, inquit, ὡς ἐν ἀφελείᾳ, σφόδρα, καὶ μᾶλλον γὰρ ἢ Ξενοφῶν*. Thucydides autem, non maior in historia scribenda, quam in rebus gerendis, quam multa ex eo genere habeat, facile quisque legendo obseruabit, et idoneus auctor esse Dionysius potest. Quid? Rhetorum et Criticorum veterum quisque, ut exquisitius de arte dicendi disputauit, non eo magis illam negligentiam, in scriptoribus diiudicandis, siue laudauit, siue desiderauit, iis autem, qui ad bene scribendi laudem adspirant, commendauit? Cicero qui-



## VI

dem hiatum, qui vocalium concursu, et negligenda verborum coagmentatione, fit, molle quiddam habere dicit, et quod indicet non ingrati negligentiam hominis, de re magis, quam de verbis, laborantis. Dionysius autem, uti Lyfiacam dictionem mirifice probat, quod in ea quaedam modesta diligentia et curiosa negligentia reperiatur, ita in Isocrate contra Isaeoque reprehendit λέξιν τεχνικωτέραν καὶ ἀκριβεστέραν τῆς λυσίς, τὴν δὲ σύνθεσιν περιεργωτέραν. Hermogenes porro, in eodem Isocrate, sibi displicere ostendit τὸ ἐπιμελεία περιττέουσα. Plinius denique, qui de recto fanoque sui saeculi oratore dicebat, eum nihil peccare, quam quod nihil peccaret, quid aliud indicavit, quam in bona oratione, quae a pectore calido et generoso proficiscatur, etiam indiligentiae peccato locum esse: quod si omne absit, artis quaesitae opinionem existere, quae multo facilius taedium moueat, quam bonae naturae peccata, per negligentiam orta. Et cum hoc Criticorum iudicio omnis aetas, quo incorruptius iudicavit, eo magis consensit. Nihil peccavit negligentia, Longino iudice, Apollonius Rhodius. Quis autem fuit unquam, qui ei non longe praefendum Homerum, minime ἀναμάρτητον, putarit. Curiosior in scribendo Aeschines fuit Xenophonte. Et tamen non Aeschines, sed Xenophon, Atticae Musae nomen tulit: neque Aeschinis, sed Xenophontis Dialogis, a scribenda per Dialogos philosophia, deterritus est Aristoteles, quorum elegantiam suavitatemque se affecuturum desperabat. Quae cum ita sint, illud non difficulter intelligitur, si quis quid eiusmodi in scriptore, caeteris rebus probabili et elegante, reperiat, cum Longino, acerrimo orationis iudice et, ut ipse dicit, ἥμισυ τοῖς πταίσμασιν ἀρεσκόμενῳ, ἀμάρτημα ἐκείσιν potius, quam παρόραμα δι' ἀμέλειαν appellare, et non modo venia, sed etiam laude dignum putare debere, neque talia aut temere reprehendere, aut etiam emendare velle, veluti diligentius scribere coacturum. Sed hic molesti sunt primum ii, qui parum in scriptoribus graecis et latinis

latinis cum intelligentia legendis versati, sed ieiunis quibusdam et vulgaribus Dialecticorum praeceptiunculis imbuti, omnes artes ac disciplinas Dialectico supercilio suo se sustinere putant. Hi enim, si quod epitheton aut attributum non satis aptum, si quae redundantia, aut non satis sibi respondentia, iudicant, si quam sententiam non satis dictatis suis consentientem, ad contemptum statim rem trahunt, aut adeo, corrigendis, addendis detrahendisue verbis quibusdam, consulere sententiae subtilitati et scriptorum diligentiae instituunt. Aliud genus est eorum, qui, cum vulgares grammaticas leges, et, de commutanda oratione, collocandisque verbis, praeceptiunculas audierunt, magnos se statim Platones et Cicerones putant, neque solum iudicandi de omnibus scriptoribus, antiquis pariter atque recentioribus, sed etiam corrigendi eos, hoc est, ut Seneca de huiusmodi hominibus ait, delendi ac corrumpendi, audaciam sibi in ventrem sumunt, impudentiam pro sapientia obtrudere aliis conantes. Atque ego non ignoro, magnos etiam homines inprimisque doctos in eo genere interdum lapsos esse. Sed aliter catuli olent, ut ille ait, aliter fues: utque tales venia fortasse digni, sic indocti illi omnibus modis sunt coercendi. Adolescentes autem, qui ad veram eloquentiam contendunt, aut aliquando recte et cum laude, in auctoribus graecis et latinis interpretandis emendandisque, versari cupiunt, in tempore sunt monendi, ut ab illa sibi temeritate, quae quotidie magis inualefcit, sibi etiam atque etiam caueant, ne, dum acutos se cupiunt probare, risum doctis debeant. Itaque hanc sibi inprimis legem scriptam putent, ne iudicare de huiusmodi locis, aut ea emendare audeant, quam multorum annorum assidua lectione in iustam scriptorum veterum consuetudinem venerint, et non modo cuiusque scriptoris ingenium dicendique formam penitus cognouerint, sed etiam, cum singularum, tum diuersarum aetatum auctores inter se diligenter comparauerint, manuscriptosque et editos e ma-  
nuscri-



## VIII

nuscriptis libros consulerint: quae est vna recta in hac re ver-  
fandi ratio. Sed vt eo minus mirum iis accidat, si quid ex eo,  
de quo agimus, genere, inuenerint, age exempla ex antiquis  
scriptoribus proponemus, quae eorum vel admirationi, vel  
temeritati mederi possint: quibus similia, si velint attendere,  
facile reperiant.

Lex est recte scribendi, vt a repetitionibus inanibus ab-  
stineatur: eiusque obseruantissimus bonus quisque scriptor fuit.  
Sed tamen haud facile quenquam, etiam ex optimis, reperias,  
qui eam nunquam neglexerit. Thucydides in illustri loco de  
pestilentia Atheniensi II, 49. init. dicit, τὸ μὲν ἔτος, ὡς ἁμο-  
λογεῖται, ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκείνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσ-  
θενείας ἐτύγγαθεν ὄν· εἰ δὲ τις καὶ πρόεκαμνέ τι, ἐς τὸτο πάν-  
τα ἀπεκρίθη. Post, forma morbi explicata, idem repetit:  
καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον ἕδεν τῶν εὐφύτων·  
ὁ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τὸτο ἐτελεύτα. Et eius generis plura sunt  
apud eum, et patrem historiae Herodotum. Idem commisit  
accuratus, si quisquam, scriptor Liuius. Nam XXXII, 21. Ari-  
staenum in eadem ratione dicentem inducit primo: *Nolite, quia  
vltro Romani petunt amicitiam, id, quod optandum vobis ac sum-  
ma ope petendum erat, fastidire.* Deinde, paucis interiectis:  
*Nolite, si quod omnibus votis petendum erat, vltro offertur, fa-  
stidire.* Porro c. 22. *Dymaei ac Megalopolitani, et quidam Ar-  
giuorum, prius, quam decretum fieret, consurrexerunt, ac reli-  
querunt concilium, neque mirante vlllo, neque improbante.* Vix  
septem versibus interiectis: *ob haec concilio excesserunt, venia-  
que iis huius secessionis fuit, etc.* Alia lex est, vt anteceden-  
tia sententiarum et consequentia sibi accurate respondeant.  
Hanc quoque per saepe migrari cernas. Vt non memorem  
ἀνακόλυθα et ἀνανταπόδοτα, quae passim ab interpretibus scri-  
ptorum veterum obseruata reperiuntur: quale illud videtur  
Xenophontis, in Memorab. Socr. III, 1, 4<sup>p</sup>. Dixerat, qui ci-  
tharam pulsare, vel sanare morbos didicerit, etsi neque pulset  
citha-



citharam, neque aegrotos curet, tamen citharistam, vel medicum esse. Sic, qui imperare exercitui didicerit, imperatorem esse, etsi non praesit exercitui. Contrarium deinde rei propositae addit. *ὁ δὲ μὴ ἐπιστάμενος, εἴδ᾽ στρατηγός, εἴδ᾽ ἰατρός ἐστὶ*, omisso citharista, quo adiecto accuratior, oratio foret. Sic Maximus Tyrius Diss. X. in asserenda contra Epicureos prouidentia diuina, cum dixisset, omnem nauem a gubernatore, exercitum ab Imperatore, ciuitatem a legislatore regi, subiicit: *ὑπὲρ δὲ ἕρωνος καὶ γῆς καὶ θαλάττης καὶ τῶν ἄλλων μερῶν, τίς, ὡς Ἐπίκουρος, βελεύεται; τίς κυβερνήτης; τίς στρατηγός; τίς νομοθέτης; τίς γεωργός; τίς οἰκονόμος;* Non dubitandum est, quin id parum accurate factum sit. Sed propterea non necesse erat, omnibus MSS. Codd. in lectione vulgata consentientibus, et tot exemplis similis negligentiae apud alios scriptores occurrentibus, hunc locum ita refingi nuper a Marklando V. C. in prima comparationis parte additis de coniectura verbis: *καὶ περὶ γῆς γεωργός, καὶ περὶ οἴκου οἰκονόμος*, vt consequentia antecedentibus plane responderent. Aristoteles Rhet. III, 5. recte praecipit de emendata scribendi ratione, vt coniunctiones membrorum sibi respondeant. Id autem interdum negligi, adeo non in vitio est, vt etiam auctorem huius negligentiae Demetrium habeamus. *Χρηθὲς δὲ*, inquit, de Elocut. §. 53. *καὶ τὰς συνδέσεις μὴ μάλιστ' ἀνταποδίδουσαι ἀκριβῶς, ἀλλὰ καὶ ἀτακτοτέρως πῶς χρῆσθαι*: in quo ille Antiphonteo exemplo vitur.

Iam, vt ad verba veniamus, innumerabilia negligentiae et genera et exempla proferre possemus. Nam quoties non optimi quique scriptores, inprimisque Thucydides, notante etiam Dionysio, Xenophon, et, e latinis, Liuius et Cicero, ab vno genere, modo, gradu, numero, etiam casu et tempore, ad aliud transfiliunt, quae tamen ex accurata dicendi formula consentire inter se debebant, vt praecipit in Oratore Cicero, ipse interdum legis a se rogatae gratiam sibi faciens. Quorum negligentiae generum si vellemus exempla, quot possemus,

## X

commemorare, finem vix reperiremus. Sed ea sunt inprimis eiusmodi, vt, quia probabilem explicationem habere possunt, etiam quaesita, et propterea magis grata, quam diligentior et legitima ratio, videantur. Parem gratiam habet, ac prope dicam maiorem, illud, cum commutatio verborum negligitur sic, vt aliqua causa eius negligentiae afferri possit, quae nec leuior ea videatur, propter quam commutata ratio placet, nec tam facile, vt illa, in oculos incurrat. Iuuat exemplum vnum et item alterum proferre, si forte ineptos quosdam commutatae orationis praecones hoc helleboro sanare possimus. Homeri in Odyss. τ'. 204. f. hi sunt versus

Τῆς δ' ἀρ' ἀκρότης ἔεε δάκρυα, ΤΗΚΕΤΟ δὲ χρώς.  
 ὡς δὲ χιών ΚΑΤΑΤΗ'ΚΕΤ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,  
 ἦν τ' εὖρος ΚΑΤΕ'ΤΗΕΝ, ἐπὶν Ζέφυρος καταχεύει,  
 ΤΗΚΟΜΕ'ΝΗΣ δ' ἀρα τῆς ποταμοὶ πλήθεσι ῥέοντες  
 ὡς τῆς ΤΗ'ΚΕΤΟ καλὰ παρηία δακρυχεύσης.

Ecce idem verbum quinque versibus toties adhibetur ab eo, cuius copiam et varietatem omnis aetas est admirata. Habet sane res negligentiae speciem, iniucundae, si repetitionem eorundem sonorum, fatigantium prope aurem, spectes. In omni enim re varietas plurimum delectat, et ea ipsa est, quae commutationem orationis commendat. Sed si intelligas, quid interior quaedam cura sub huius negligentiae inuolucro abdidit, plus ea, quam varietate, capiare. Itaque etiam hic locus semper mirifice a doctis Criticis est laudatus. Nempe cum verbum illud, quo vsus est Homerus, sit iis rebus, de quibus dicit, omnium aptissimum, inanis et intempestiua varietas fuisset, si diuersis verbis vsus esset, vt scite monuit Hermogenes *Method. 6. 4.* Eodem modo Cicero in vna epistola *ad Diu. XI, 16. epistolam reddere* paucis versiculis ter dixit, specie negligenter, re eleganter. *Mil. 13. insidias factas esse constat, et id est, quod senatus contra remp. factum iudicauit: ab utro factae*

X  
 commemor  
 eiusmodi, v  
 etiam quaesi  
 legitima rat  
 dicam maio  
 sic, vt aliqu  
 leuior ea vi  
 tam facile,  
 vnum et ite  
 commutatae  
 mus. Hom

Τῆς δ' ἰ  
 ὡς δὲ χ  
 ἦν τ' ἐν  
 ΤΗΚΟ  
 ὡς τῆς

Ecce idem  
 cuius copiat  
 sane res neg  
 rundem son  
 enim re vari  
 mutationem  
 terior quae  
 derit, plus e  
 cus semper  
 cum verbun  
 quibus dicit  
 rietas fuisset  
 mogenes M  
 ad Diu. XI, i  
 cie negligen  
 et id est, qu

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
- R G B W M C Y M

ea sunt inprimis  
 habere possunt,  
 m diligentior et  
 abet, ac prope  
 borum negligitur  
 possit, quae nec  
 ratio placet, nec  
 tuuat exemplum  
 ceptos quosdam  
 ro sanare possi-  
 fus

χεῖρας.  
 ἄγεσσαν,  
 ταχεύοι,  
 τι ῥέοντες

dhabetur ab eo,  
 lmirata. Habet  
 repetitionem eo-  
 ectes. In omni  
 est, quae com-  
 elligas, quid in-  
 inuolucro abdi-  
 ue etiam hic lo-  
 latus. Nempe  
 sit iis rebus, de  
 intempestiua va-  
 cite monuit Her-  
 o in vna epistola  
 s ter dixit, spe-  
 ctas esse constat,  
 licauit: ab utro  
 factae



*factae sint, incertum est, de hoc igitur latum est, ut quaerere-*  
*tur.* Caesar V. 50. eiusdem periodi bina membra verbo iubet  
 concludit. Liuius XXX, 33. in vna eademque comprehensione  
 posuit: elephantos *instruxit*, et subsidiariam aciem *instruxit*.  
 Libro autem II, 32. *ter est*, cum infinitiuo *esse*, duobus versicu-  
 lis scripsit: denique IV, 3. eodem versiculo: spes - - - si  
 dignus *summo honore*, adipiscendi *summi honoris*.

Tertia est collocatio verborum, in qua grata negligentia,  
 auctore Cicerone, reperitur. Age ergo huius quoque exem-  
 pla quaedam e Cicerone et Liuiio proferemus. *ad Diu.* XII, 2.  
 qui, quia, quae *de rep. bene senserint, libere locuti sunt, tuto in*  
*senatum venire non possunt.* Hic Graeuus offensus omisit ter-  
 tium *quae*, quod tamen sententia requirit. Eodem modo dixit  
 Cicero pr. Quint. 11. *et is qui, quia, quod nunquam debitum est etc.*  
*Nat. D. I, 20. qui, quia, quemadmodum natura etc. Offic. I, 20.*  
*fortis animus et magnus duabus rebus cernitur. ibid. 61. plenio-*  
*re ore. Diu. I, 43. Visus est in somnis amicae amictus esse ami-*  
*culo.* Talia perquam multa sunt apud Ciceronem: plura etiam  
 apud Liuium. Multa iam congeffit ad XXXI, 22. Gronouius,  
 admonens lectores, ne, in historicis, (quidni scriptoribus anti-  
 quis?) emendandis, aurium iudicium sequantur. Ex iis haec  
 sunt: *quam per pauorem amiserant patriae, profectae postea*  
*a Veis: bona, quae publicari poterant, pigneranda poenae*  
*praebent: priusquam consules praetoresque in prouincias pro-*  
*ficiscerentur, prodigia per pontifices procurari placuit.* Hic  
 Gronouius subiicit: Haec meditatus esse quidem et scripsisse  
 Liuius, sed legi audiuisse non videtur. Non repugnem: sed  
 mihi tamen magis placet Seruius ad Virgilii verba *Aen. II. 199.*  
*hic aliud maius miseris multoque tremendum obicitur ma-*  
*gis etc. Frequentauit M, inquit, ut, et sale saxa sonabant:*  
*et: casus Cassandra canebat.* Addere poterat ex illo ipso  
 libro v. 201. *sorte sacerdos solemnis taurum etc. Nam apud*  
*veteres a similibus incipere vitiosum non erat.* Idem fere pro-

nunciat Vauassor *Antibarb.* p. 511. 567. 571. *ed. Lips.* Nam Liuium Ciceronemque ista non aequae ac nos sensisse, aut, si ferenda non essent, ab amicis, hunc quidem ab Attico et Tirone, quos scriptorum suorum canonas vocat, monitos non fuisse, vix mihi probari potest. Negligentiam habere videbant, sed eam non ingrati fore credebant.

Possimus multa alia ex omnibus, quae posuimus, generibus, aliisque insuper, commemorare, sed tempore et spatio excludimur. Quare faciemus illud potius, cuius causa haec scriptio suscepta est. Tres ex alumnis nostris huic scholae, proximo Die Veneris, Vale dicere, et gratias pro beneficiis agere constituerunt. Sunt autem hi:

GOTTLIEB CHRISTIANVS ALBRECHT  
Bornensis

BENIAMIN GODOFREDVS FLECKEISEN  
Doebelenfis

CHRISTIANVS GOTTL. STEYER Bornensis

Dicent simul *de virtute, a natura, doctrina, Deoue veniat?* Huius suae pietatis gratique animi testes quam plurimos habere cupiunt. Itaque per me demisse rogant PATRONOS FAVTORESque scholae atque suos, vt adesse, operamque sibi dicentibus dare velint. Ego autem pro me quoque polliceor, quicumque his precibus permoti ad eos audiendos venerint, eos mihi beneficium tributuros esse. Scr. prid. Kal. Mai.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA